

scipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos pie vivere certimus: sed tunc vere sunt, quod appellantur, si manifesti in eo, propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est, in eo, quod caperunt esse, non manent, non vere appellantur, & non sunt: apud eum enim hoc non sunt, cui notum est, quod fuerit, id est, ex bonis mali. Hæc, inquam, S. Augustini verba Calvinianis non favent. Cum enim eos non esse vere Dei filios, & vere Christi Discipulos asserit, qui non perseverant etiam quando tales videntur, & ita vocantur. Id vult unum, non esse vere Dei filios secundum prædestinationem, quamvis sint vere filii Dei secundum præsentem iustitiam, sive propter gratiam temporaliter acceptam, ut antea dixi. Unde post verba mox laudata statim subdit: Propter hoc Apostolus cum dicit: scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit: his, qui secundum propositum vocati sunt. Hi enim in eo, quod diligunt Deum, permanent usque in finem: & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant, quod in bono esse caperunt.

Præterea cum bifariam aliquid verum dicatur, veritate nimirum essentia, & veritate perfectionis, sæpe S. Augustinus vere esse negat in aliquo ordine, quod perfectionem illius ordinis non assequitur, aut quod cum nobiliori, & perfectiori comparatum, imperfectum est. Hinc res solas spirituales veras esse existimat; corporeas vero esse velut umbras verorum entium, si cum illis comparantur. Quam sententiam hausit ex Platoniorum fontibus. Hinc solum Deum esse verum ens passim asserit: Creaturas cum Deo collatas nihil esse. Quæ assertio Iasæ Testimonio nititur cap. 40. dicentis: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatae sunt ei. Ita S. Augustinus eos vere Dei filios, & Christi Discipulos esse negat, qui tales sunt duntaxat propter gratiam temporaliter acceptam; ipsas autem iainicis æternam futuri sunt; quia pars qualibet prolata vitæ nostræ, imo vita omnis cum æternitate comparata momentum est, punctum indivisibile est; & ut vere loquar, nihil est, cum nulla sit finitudo ad infinitum proportio.

Probat præterea sententia hæc nostra ex eodem S. Doctore lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. dicente: quis enim audeat negare Christianum, Justum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo sane fidei resistendum putabit? Item, si dixerit, Justum, si a sua iustitia recesserit in qua diu vixit, & in ea suavit impie desunctus, in qua, non dico unum annum, sed unum diem vixerit, in penas iniquis debitas hinc inurum, nihil sibi sua præterita iustitia profutura: huic perspicua veritati quis fidelium contradicet? Porro si queratur a nobis, utrum, si tunc esset mortuus, quando erat justus, penas esset inventurus, an requiem: numquid requiem responderi dubitabimus? Hæc est tota causa, cur dictum est, a quocumque sit dictum, raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus; dictum est enim, secundum pericula vitæ hujus, non secundum præsentiam Dei, qui hoc præseruit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerit largiturus, ut tentationum subtraheret incerto; non quod peccatus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job: Numquid non tentatio est vita humana super terram? Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justus sunt, auferantur: alii vero justus, donec a iustitia cadant, in eisdem periculis vitæ productivè teneantur; quis cognovit sensum Do-

mini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos pioque mores usque ad senectutis maturitatem, & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriantur; Quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantumcumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem hic tenetur casuum justum, quem priusquam caderet, hinc posset auferre, justissima omnino, sed inscrutabilia sunt iudicia ejus.

Quibus Augustini verbis perspicuum est, justos qui non perseverant, id est, qui bonos pioque mores usque ad ultimum hujus vitæ diem non servant, vere fuisse justos antequam caderent: si quidem requiem inventuri fuissent, id est felicitatem æternam fuissent consequuti, si ex hac vita rapti fuissent antequam caderent.

Idem probatur ex libro de dono perseverantiae cap. 8. ubi hæc habet: adhuc pergat & dicat, cur quibusdam, qui cum coluerunt (scilicet Deum) bona fide perseverare usque in finem non dedit? Cur putas; nisi quia non meruit, qui dicit: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, manifestent utique nobiscum? Igitur secundum mentem S. Augustini, quidam non perseverant, qui Deum bona fide coluerunt; adeoque vere justus fuerunt, non hypocritæ.

Nec favent Calvinianis verba sequentia, ex quibus perperam colligunt, eos, de quibus S. Augustinus dicit, quod bona fide Christum coluerunt, fideles tantum extitisse, & justos secundum hominum extimationem. Sic enim habet: hominibus autem videtur, omnes, qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse judicavit miscere quosdam non perseverantibus certo numero Sanctorum suorum; ut quibus non expediret in hujus vitæ tentatione securitas, non possent esse secuti. Multos enim a perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus: quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Hic, inquam, locus non suffragatur Calvinianis; nam de his, qui vere justus sunt potiori longe ratione, quam de hypocritis dici potest, quod boni fideles apparent. Apparere enim non solum de iis dicitur, qui specie tenus aliquid habent, verum etiam de iis, qui re ipsa sunt, quod videntur. Alloquin negandum esset, Mariam forem Moysis re vera leprosam fuisse; quia de ipsa dicitur Numer. 12. Ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Dicendum esset de Daniele, & ejus sociis, ipsos non fuisse revera cæteris reperis corpulentiores, & vultu lætiores; quia de ipsis dicitur Danielis 1. apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores per omnibus pueris. Argumento itaque non est, quod fideles fuerint secundum hominum duntaxat opinionem illi, de quibus S. Augustinus dixit: Deum coluerunt bona fide; quia de iisdem subjungit, qui boni apparent fideles.

Præterea: non ea mentes hominum subit cogitatio, illos, qui specie tenus fideles sunt, & re vera hypocritæ, perseverantiam accipere debuisse. Igitur cum S. Augustinus ait: hominibus autem videtur, omnes, qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse; de illis loquitur, qui vere fideles & justus sunt.

Tertio: Si S. Augustinus existimasset, omnes, qui vere fideles sunt & justus, in fide, & iustitia perseverare, ineptissima quaesisset, cur Deus perseverantiam non det quibusdam, qui cum bona fide coluerunt. Rationem enim investigasset ejus rei, quam judicasset impossibilem. Aut si de hypocritis, qui solam iustitiæ speciem præferrebant loquutus esset, nullus fuisset admirandi locus, cur Deus perseverantiam in gratia non det illis, qui secundum ejus hypotheseum nunquam in statu gratiæ fuissent.

Con-

Confirmatur ex his verbis cap. 9. Ex duobus itaque parulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquantur; & ex duobus etate jam grandibus impiis, cur ista ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Hæc Augustinus: ubi cum uterque justus appelleret a S. Doctore, tam qui non perseverat, quam qui perseverat; argumento est, utrumque vere & proprie justum esse.

Præterea: perseverantiam in eo, in quo uterque est statu, summum fore Dei beneficium S. Augustinus asserit. An vero beneficium esset, si qui specie tenus justus est, eo in statu perseveraret?

Tertio: Ineptissima esset S. Augustini interrogatio: ejus enim sensus esset, cur Deus perseverantiam in vera fide & Charitate eis non donet, qui nunquam veram fidem, nec veram Charitatem habuerunt.

Quarto: Non essent inscrutabilia iudicia Dei secundum Calvinistarum hypotheseum. Non enim mirum videri debet, si ex duobus hominibus, quorum unus vere fidelis & pius est, alter vero speciem & larvam fidei & pietatis duntaxat habet, cum peccatis scateat coram Deo: primus donum perseverantiam accipiat, non accipiat alter: cui nec gratia conferretur, sed pena infligitur, si in eo permanere sinatur statu simulatæ fidei, ac pietatis.

Denique omnes Calvinistarum Cavilli sequentibus S. Augustini verbis destruunt. Nam si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de peccatore Domini biberat hoc secretum, manifestent utique nobiscum. Quid esto queso, Non erant ex nobis, nam si fuissent, manifestent utique nobiscum? Nonne utriusque a Deo creati, utriusque ex Adam nati, utriusque de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem statum ego feci, unus ejusdemque nature animam acceperant? Nonne postremo utriusque vocati fuerant, & vocantem secuti, utriusque ex impiis justificati, & per lavacrum regenerationis utriusque renovati? Sed si hæc audiret, ille qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset & dicere: Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, manifestent utique nobiscum. Quæ est tandem ista discretio? Patens libri Dei, non avertamus aspectum: Clamat Scriptura Divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consequuti, non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent. Ex quibus evidens est secundum Augustinum, tam eos, qui non perseverant, quam qui perseverant in iustitia, vocatos fuisse, vocantem sequutos, ex impiis justificatos, & per lavacrum regenerationis æque renovatos.

## PRÆLECTIO X.

Postrema Calvinistarum objectiones occupantur.

Dispendium operæ faciam, si surda aure præteriteri objectiones prolaxas, quæ adversus statutam hætenus sententiam, tameri Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ suffragatione munitam, solent

a Calvinianis identidem fieri. Audiamus argutos disputatores.

Opponunt hi loco primo verba S. Joannis Epist. I. cap. 3. dicentis: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Ex quibus colligunt iustitiam semel acceptam inamissibilem esse.

Belle id quidem excogitatum; merum tamen ellugium est. Significat enim iis verbis Evangelistica, mortalium peccatorum perpetrationem cum statu, ac dignitate filiorum Dei coherere non posse; Non autem quod cum persona filiorum Dei conjungi non possint, sive ab iis, qui filii Dei sunt, committi; ita tamen ut illa committenda a statu filiorum Dei excidant. Hic loquendi modus similis est illis propositionibus, quæ vulgo in ore hominum versantur: honesta & pudica femina sermonibus ad stuprum allicientibus aures non accommodat: fidelis subditus cum hostibus Regis sui fœdus non init; Judex inter muneribus aut gratia non corrumpitur: Princeps optimus ad infantes opprimendos potestatem non abutitur sua.

Hæc namque propositiones enunciant id, quod hujusmodi personis convenit secundum dotes, quæ ipsis tribuuntur; sed non inde sequitur, mulierem pudicam labi non posse; subditum fidelem non posse deficere a fide, & officio erga principem; Judicem integerrimum non posse ab integritate dimoveri præcibus potentissimis, commodis, aut minis; Principem optimum, qualis erat David, non posse eo abripi cupiditatis æstu, ut occidat infontem. Sic itaque omnis, qui ex Deo natus est, peccatum non facit, quatenus ex Deo natus est; sed nec facere potest, quamdiu divinæ illius nativitatis Spiritum sequitur. Sed nihil prohibet, quin Officium negligens suum, & Demoniis tentationibus consensum præbens in mortalibus labatur peccata, quibus a statu filiorum Dei excidat.

Certe scopus S. Joannis non alius est, quam ut fideles a peccato abducatur; ut Simonis Magi Discipulos ipsis falso persuadere velle ostendat, fidem solam absque operibus, & Sanctitate nomine Christiano digna, Deo gratos homines efficere posse. Id ex ipso capite 3. conspicuum est; ubi cum præmiserit: Scimus quoniam cum appareris, similes ei erimus: quoniam videbimus eum stulti est: subjungit: & omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. Et infa: Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, justus est. Qui facit peccatum, ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissolveret opera Diaboli. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Et post: qui non diligit, manet in morte: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. Hæc Apostolus.

Porro quod eo loci ait Apostolus absurdum faceret sensum, si peccare non possent, qui semel in statu iustitiæ sunt provelti: sensus enim esset: ne peccetis, quia non potestis peccare. Sequeretur etiam, quævis flagitia a filiis Dei commissa illis imputari non posse pro peccatis, si que nec Davidi adulterium, & homicidium; nec Idololatram Salomoni; nec Christi negationem Petro pro peccatis fuisse imputata.

Præterea: cum manifestum sit, eum, qui ex Deo

Deo natus est, posse non tantum odio habere fratrem, sed etiam occidere, ut Davidis exemplo comprobatur, manifestum est, illum, cum id fecerit, manere in morte, & non habere vitam æternam in seipso manentem; ut ait S. Joannes.

Hæc explicatio SS. Patrum doctrinæ est consentanea. Tertullianus enim *lib. de pudic. cap. 19.*, ubi duo distinguit genera delictorum, quædam quotidianæ incurfionis, quibus omnes sumus obiecti; alia graviora & exitiosa, ut homicidium, Idololatria, fraus, negatio, blasphemia, machia, & fornicatio, & si quæ alia violatio Templi legis Dei, subiungit: hæc non admittit omnino, qui natus ex Deo fuerit; non futurus Dei filius, si admiserit.

Et S. Augustinus *lib. 1. contra Gaudentium cap. 30.* Quod non potest iuste, non potest iustus: quoniam hoc decernendo prius amittit iustitiam, ut quod non potest iustus, possit iniustus.

Et *lib. 83. quæst. 66.* exponens illa verba Apostoli. Prudentia carnis legi Dei non est subiecta, nec enim potest: ait, hæc verba idem significare, tanquam si diceretur, nix non calefacit, nec enim potest. Quamdiu enim nix est, non calefacit: sed resoluatur potest, & fervere, ut calefaciat: sed cum hoc factum, jam nix non est. Sic & prudentia carnis dicitur cum anima pro magnis donis temporalia bona concupiscit. Quamdiu enim appetit talis inest anima, legi Dei subiecta esse non potest: id est non potest implere, quæ lex iubet. Sed cum spiritualia bona desiderare cœperit, & temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, & spiritui non resistet. Eadem namque anima cum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur: cum superiora, prudentiam spiritus: non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur anima, vel exiatur, sed ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, cum se totam ad superna converterit. Hæc S. Augustinus. Eodem modo exponenda sunt illa verba S. Joannis. Omnis qui natus est ex Deo, non potest peccare.

Et hæc quidem explicatio gemina est illi, quæ similes Scripturæ Sacræ phrasæ necessario exponenda sunt, & vulgo a sacris interpretibus exponuntur: Ut illa Christi Domini Sententia, *Matth. 7.* non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere: cuius sensus est, non posse bonam voluntatem, quatenus bona est, & in ea integritate permanere, mala opera edere; quamvis ab illo statu mutari possit, & malos fructus, five mala opera producere, cum depravata fuerit, & in arborem malam evaserit. Sic exponitur & illa Sententia Apostoli *primæ ad Corin. 2.* Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Cuius sensus est, non posse intelligere, quando animalis manet, & sensibus, atque cupiditatibus addictus est; quamvis facile intelligat, si in virum evaserit spiritualem.

Ineptæ vero sunt Heterodoxorum interpretationes, qui locum illum S. Joannis intelligi volunt de peccato regnante, non de quovis peccato mortali: & ita peccatum regnans definiunt, ut ab iis tantum admittatur, qui oblectantur peccato, nec ad tempus tantum, sed perpetuo se tales ei mancipio tradunt, quique ante discessum ex hac vita nulla signa reddunt sermone erga Deum conversionis, ut loquitur Rivetus in *dialysi Grotiana discussioni Sectione 16.* vel peccatum regnans illud solum esse ajunt, quod est simile peccato Diaboli; quod nempe ex destinata malitia admittitur, & in quo perpetuo manet peccator; ut ait Zanchius *lib. de Perseverantia SS. cap. 3. quæst. 3.* vel quo peccatores eo evadunt, ut universali apostasia a Deo prorsus deficiant, hostili eum odio pro-

sequantur, atque affectata malitia Diaboli in morem damnatorum hominum peccent, omnibusque celestibus bonis se expolient. Cæterum Sanctos peccare, vel ex ignorantia, vel ex infirmitate carnis, vel aliqua etiam malitia, non tamen totos in peccata despumare, sed secundum carnem duntaxat; quatenus nondum renati, neque a Spiritu S. refranati, non ex toto corde, sed contradicente, & recalcitrante conscientia peccant; ac proinde nunquam Spiritum adoptionis, fidem, amorem Dei, ac novam obedientiam penitus desipientes. Ita loquitur Crocius Bremensis Professor *lib. de Perseverantia SS.* contra eum, quem Bertrius de Apostasia SS. ediderat: vel peccatum regnans illud esse, quod si fiat contra conscientiam dedita opera, & deliberato consilio, sit contra conscientiam obrutam & quasi sopitam, non virgilem & expedite iudicium suum proferentem; non ita ut peccans se totum peccato dedat, & plena animo peccatum illud perpetuet. Ita Triglandius *lib. de Trina Dei gratia.*

Hæc inquam interpretationes futiles sunt, & Scripturæ Sacræ, ac recte rationi repugnant. Scripturæ quidem; siquidem Apostolus ad *Rom. 6.* non ergo, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; At quicumque peccata illa committit, de quibus ait Apostolus ad *Galatas cap. 5.* Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; quamvis in his perpetuo non maneat, & recalcitrante conscientia ea admittant, vel totos eis non se dedant, ut Adversarii loquuntur; Obediunt tamen concupiscentiis peccati, & exhibent membra sua arma iniquitatis peccato; & regnat in his peccatum. Itaque Adversarii peccatum regnans plane contra mentem Apostoli exponunt.

Secundo: Perpetuus loquendi modus Scripturæ sacræ non sic peccati notionem usurpat; sed peccatum id omne intelligit, quod fit contra Dei legem, quod Regni Cœlestis claudit aditum, quod non admittitur ab iis, qui audiunt Dei verbum, & ipsi obsequuntur; quod hominem a libertate filiorum Dei detruit in statum miseræ servitutis, quod qui perpetrat, adhuc sub lege sunt, non sub Gratia. Id, inquam, intelligit Scripturæ læthalis nomine peccati. Calvinisti igitur contra Scripturæ sacræ sensum, & locum memoratum S. Joannis exponunt, cum illum de iis intelligentibus peccatis, in quibus homo perpetuo maneat.

Tertio: Principium evidentissime perunt, & illud supponunt verum, quod in questione ponitur, fieri scilicet non posse, ut homo iustus labatur in peccatum ex deliberato consilio, & in eo perpetuo maneat.

Quarto: Tantum abest, ut peccatum illud, quod secundum carnem admittitur, non impuatur iustus, quia potius Apostolus ad *Rom. 8.* dicit: Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Non dubium autem est, quin secundum carnem vivat, qui in adulteria, confessiones, & alia id genus crimina, quæ ab Apostolo opera carnis nuncupantur, cadunt; quamvis repugnante conscientia, nec toti in peccata despumantes, nec in iis perseverare volentes.

Denique tantum abest, ut quæ repugnante conscientia committuntur peccata, leviora sint, ut potius longe sint graviora, adeoque longe maiorem oppositionem habeant cum statu filiorum Dei. Accedit, quod jam innuimus, iustum non esse amplius sub lege, sed sub Gratia constitutum, qui autem sub Gratia est, ita liberatus est a peccato, ut ipsi non consentiat, quando in hoc statu

permanet, sed serviat iustitiæ. Servire autem iustitiæ quis dicat eos, qui membra sua exhibent servire immunditiæ? Duo enim Domini sunt, peccatum & iustitia; quibus pariter & eodem tempore servire non potest. Cum itaque serviat peccato, secundum Apostolum, qui servit immunditiæ, etsi in ea perpetuo non maneat, colligendum est, eum non esse iustum; adeoque iustus, qui in peccata impudicitie labi possunt ex confessione Adversariorum, posse excidere a iustitia.

Ratiocinium illud immititur doctrinæ Apostoli ad *Rom. cap. 6.*, ubi exponens statum hominis sub lege, & sub gratia; hæc habet: Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes: Et membra vestra arma iustitiæ Deo; Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obediens ad iustitiam? Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obediistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, servi estis iustitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim servi estis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Porro sanctificatio secundum modum loquendi Scripturæ sacræ maxime opponitur peccati impudicitie iuxta illud eisdem Apostoli 1. ad *Thessal. 4.* Hec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione. . . . Quæ ratione igitur fieri potest, ut qui in fornicationem prolabitur, vel in adulterium, sicut David, lapsus est; nihilominus iustus, & sanctus permanet?

Idem confirmatur ex *Epistola ad Galatas cap. 5.*, ubi eos non esse sub lege significat, sed sub gratia, qui spiritu ducuntur, sive spiritu ambulant; eos autem spiritu ambulare asserit, qui desideria carnis non persequuntur, neque carnis opera perpetrunt, quæ ibidem enumerat: eos insuper duci affirmat, in quibus emicant fructus spiritus, quos ibidem recenset, operibus carnis oppositi. Dico autem, inquit, Spiritu ambulato, & desideria carnis non persequeris. Caro enim concupiscit adversus Spiritum: Spiritus autem adversus carnem: hoc enim sibi invicem adversatur, ut non quæcumque vultis, illa faciat. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitium, veneficia, inimicitie, contentiones, emulationes, ira, rixæ, dissensiones, sententia, iridia, homicidia, ebrietates, comestiones, & his similia: quæ prædicæ vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: Adversus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Porro fatentur Calviniani, iustos faos in fornicationem, & alia peccata labi posse, & aliquando cadere, quæ nomine operum carnis comprehenduntur. Hos ne dicent, spiritu duci, opera carnis non perferere, cum impudicitia consentiant? Fructus ne Spiritus

continentiam maxime & castitatem; in iis esse propugnabunt? An carnem suam illos crucifigere cum vitiis & concupiscentiis affirmabunt, quando libidini indulgent? Fateantur itaque necesse est, illos, cum admittunt huiusmodi peccata, esse sub lege, non autem sub gratia. Enim vero illi sub lege sunt positi, qui etsi cum peccato luctentur, ab eo tamen vincuntur. Sub lege pugnamus, sed vincimur, inquit S. Augustinus in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos; & vita sub lege ante gratiam est quando prohibetur quidem, & conatur a peccato sese abstinere; sed vincitur, quia nondum iustitiam propter Deum, & propter ipsam iustitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrenam hereditatem. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit iustitiam: inquit S. Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas. Sub lege est actio, cum jam prohibetur a peccato, & tamen consuetudine ejus vitiis peccamus, inquit idem SS. Doctor *lib. 83. quæst. quæstione 66.* Status vero sub Gratia est, (ut in iisdem locis, & in *Enchiridio ad Laurentium Cap. 117. & 118.* explicat Augustinus) quando concupiscitur adversus carnem fortiore robore Charitatis; ut quamvis adhuc sit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex se tamen iustus vivat, iustaque vivat, in quantum non cadit male concupiscentie vincens delectatione iustitiæ. Eadem habet S. Doctor *lib. de Continentia cap. 3.* Quæ loca, rogo vos, multo attentius pensitatis; cum in iis illorum quatuor statum, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace, discrimen luculenter exponatur. Ex quibus omnibus liquet, eos esse sub lege, qui peccato consentiunt, & ab eo vincuntur; eisque, uno verbo, dominari peccatum. Fictitia igitur dicenda est, & a Sacramentis Scripturarum sensu penitus aliena distinctio illa peccati regnantis, & non regnantis; in qua Calviniani totum erroris sui de inamissibilitate iustitiæ præsidium collocant.

Eisdem generis est momentum alterum, quod ex celeberrimo Apostoli loco ex *Epist. ad Rom. cap. 7.* petunt Calviniani, quo ostendere putant, iustos sub lege simul esse, & sub gratia; neque excidere a iustitia, etsi gravia peccata committant secundum carnem; cum ea repugnante conscientia committant, nec toto impetu animi in ea ferantur. Sic autem habet Apostolus eo loco: Scimus enim, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venditatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio: Si autem quod volo illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: Condelector enim legi Dei secundum interiosem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse meum servio legi Dei: carne autem legi peccati. Hæc Apostolus: qui cum iustus esset, ac in eo nihilominus habitaret peccatum, consequens esse ajunt, iustos non excidere a iustitia, modo non

regent in his peccatum, quamvis in ipsis habitet.

Repono ego, duplici modo locum hunc explicari posse: vel secundum sententiam quorundam P.P. Græcorum, quos primum sequutus est Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas: vel secundum aliorum Patrum, posterioreque S. Augustini sententiam. Quovis tamen modo explicetur, neutiquam favet Calvinistis. Nam secundum priorem opinionem, loquitur quidem Apostolus de peccatis gravioribus, a quibus passim in Epistolis suis detinet, de operibus carnis, quæ a Regno Dei excludunt: nec tamen in propria persona loquitur, nec iustorum nomine: sed in persona & nomine eorum, qui sunt adhuc sub lege, non sub Gratia. Secundum vero posteriorem sententiam loquitur quidem de seipso, iustisque cæteris, sed nomine peccati non intelligit peccatum proprie dictum, sed concupiscentiam, quæ ex peccato facta est, adversus quam iusti dimicant, nec ipsi consentiunt.

Hanc expositionem tradit S. Augustinus lib. 6. contra Julianum Pelagianum Capite 23. ubi postquam, Apostolum his verbis loquentem inducit: *adveniente mandato peccatum revidit: ego autem mortuus sum . . . . . tempus significare, intelligitur, (subjungit ille) quod sub lege vivebat, & nondum adjuvus gratia concupiscentiis carnalibus vincebatur. Ubi vero jam dicit, haec spiritualis est, ego autem carnalis sum: Jam quod conficiens patiebatur ostendit. Non enim dixit, Carnalis fui, vel eram, sed sum. Et aperius tempora ipsa distinguit, ubi dicit, nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Jam enim motus desideriorum maiorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine, quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam, quia peccato facta est, & si consentientem traxerit, atque illecebris, concipit parique peccatum. Et cetera usque ad eum locum ubi ait: Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati, verba sunt hæc sub gratia constituta, sed adhuc contra concupiscentiam suam dimicantis, nec ei consentientis ut peccet, sed tamen quibus renititur, peccati desideria patientis.*

Id ipsum evincitur ex lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 28. ubi hæc habet SS. Doctor. *Multum autem fallitur homo, qui consentiens concupiscentia carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere, & statuens, putat sibi adhuc esse dicendum: non ego operor illud: etiam si aderit, quia consentit: Simul enim est utrumque, & ipse odit, quia malum esse novit: & ipse facit, quia facere statuit. Tamen vero si illud addat, quod Scriptura prohibet dicens: neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato, ut quod facere statuit in corde, etiam corpore compleat: & ideo dicit: non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum: quia cum id decernit, & facit, displicet sibi, tantum errat, ut nec se ipsum agnoscat: quando cum ex toto ipse sit, & corde statuerit, & corpore implente, adhuc se ipsum esse non putat. Quibus Augustini verbis nihil luculentius contra Calvinianam hypothese[m] haberi potest. Iustum enim a iustitia non excidere contendunt, quamvis peccato consentiat, & illud opere compleat: & eo spectare verba Apostoli, dicens non ego operor illud . . . . . quasi qui corde statuit admittere peccatum V. G. fornicationis, & illud corpore perpetrat, ipse non fit qui operatur illud.*

Confirmatur multo disertius, ex Sermonem 154. de Verb. Apost. per totum: & ex Sermonem 151. Capp. 6. & 7. pariter de Verb. Apost. qui olim erat 45. de Temp. & Lib. 1. Retract. cap. 24. num. 2. ubi recensens, quæ in istius loci expositione dixerat cum Epistolam ad Galatas interpretaretur, sic habet: *adhuc enim non intellexeram hæc verba,*

*& illis, qui sub gratia sunt, non sub lege, propterea convenire, quia & ipsi concupiscentias carnis, contra quas Spiritu concupiscunt, quamvis eis non consentiant, nolent tamen illas habere, si possent. Et ideo non quacumque volunt, faciunt; quia velint eis carere, nec possunt. Tunc enim car non habebunt, quando nec corruptibilem carnem.*

Sed est alter, quem nobis rursus obiciunt Calviniani, Augustini locus desumptus ex Epist. contra Donatistas, vulgo lib. de Unitate Ecclesie: ubi cap. 23. num. 66. exponens Salomonis Sententiam Prov. Cap. 5. dicens: *bibe aquam de visceribus tuis, & de puteorum tuorum fontibus, & fons aquæ tuæ sit tibi propius, & nemo alienus communit tibi . . . . . hæc habet: non visibilem Baptismum, quem possunt habere & alieni, id est, qui regnum Dei non possidebunt; sed hoc donum commendat Spiritus Sancti, quod proprium est eorum tantum, qui regnabunt cura Christo in æternum. Et infra num. 67. ipsa etiam, quæ Donum Dei data sunt, nonnulla ex eis habent alieni, id est non possessuri Regnum Dei: quibus in fine dicitur, non novi vos: etiam cum dixerint in nomine tuo prophetavimus, & virtutes multas fecimus: quia etiam habeamus, inquit, prophetiam, & sciam omnia Sacramenta, & omnem scientiam; & si habuerim omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hoc est ergo donum Spiritus S. proprium Sanctorum, unde nemo communicat alienis. Hoc deest omnibus malignis, & gehennæ filiis, etiam si Christi Baptismo baptizentur, sicut Simon fuerat Baptizatus. Ex quibus constat, eos tantum, qui regnabunt cum Christo in æternum, habere donum Spiritus S.; esseque vere iustos; non autem eos, qui regnum Dei non sunt possessuri.*

Turpiter vero errant & hallucinantur Calviniani. Id enim sibi vult Augustinus eo loci, eos, qui Regnum Dei non possidebunt, id est qui in eo sunt statu, cui jus ad Regnum Dei non est annexum, imo potius meritum damnationis æternæ, non habere donum Spiritus S., quod est charitas, eorum tantum propria, qui sunt in eo statu, quo jus datur ad regnandum cum Christo in æternum. Sed non negat, quin ab eo statu mutari possint, ita ut qui nunc alieni sunt propter peccata, postea filii & heredes regni evadere possint, cum sincero animo penitentiam egerint. Enim vero non alio modo exponenda sunt verba S. Augustini hoc in loco, quam verba Apostoli dicens de operibus carnis a se enumeratis: *quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur: ad Galatas cap. 5. . . . . Sensus autem Apostoli est, eos Regnum Dei non possessuros, si in statu illo infelici permanerint. Mens autem S. Augustini circa hanc Controversiam potius ex libris contra Pelagianos, quam ex libris contra Donatistas judicanda est; in quibus de Gratia Dei & perseverantia questio non erat, sed solum de Ecclesia & Baptismo; utram scilicet mixti essent in Ecclesia mali cum bonis: an vero per malorum communionem Ecclesia descenderet; & utrum Baptismus collatus ab eis, qui erant extra Ecclesiam, validus ac ratus esset.*

Instant tandem urgentque acris petito ab Augustino momento lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. num. 36. ubi ait Spiritus S. nullo modo extingui posse; proindeque extingueretur Spiritus S. si qui semel iustificatus est, posset a iustitia excidere.

Verum hæc SS. Doctoris assertio sub distinctione explicanda est. Dicimus itaque; Spiritus S. extingui nequaquam posse, si absolute, & in se spectetur; extingui tamen moraliter posse, & relative respectu animæ, quæ ab ipsius gratia defi-

cit.

cit. Etenim eodem sensu ait S. Augustinus, Spiritus S. extingui non posse, quo sensu ibidem ait, Sacramenti sanctitatem non posse violari; & nomen Dei non posse pollui: porro Sacramentum violari ab eis, qui illud indigne suscipiunt, vel ipso suscepto in peccata labuntur, fidem Christo datam fallentes, filium Dei concalcantes, & Sanguinem Testamenti, in quo sanctificati sunt pollutum ducentes, ut ait Apostolus, nemo negaverit. Nomen etiam Dei posse pollui nemo asiciatur. Et tamen neque Sacramentum, neque nomen Domini in se, & absolute spectata violantur, aut polluantur; sed respectively & moraliter: Ita de extinctione Spiritus S. dicendum venit.

Mentem ipse suam distincte aperit eo loci Augustinus his verbis: *consequenter, inquit, intelligitur, pervertitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in pervertis, & sceleratis hominibus, sive in eis, qui intus sunt, sive in eis, qui foris sunt, impollutam, atque involabi-*

*lem permanere: & quia dicuntur ea mali pollvere, quantum in ipsis est dicuntur, cum illa impolluta permanent; sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad iudicium. Nam & de Spiritu, qui nullo modo potest extingui, dictum est tamen, Spiritum nolite extinguere (1. ad Thess. 5.) id est, quantum in vobis est, nolite sic agere, tanquam conemini Spiritum extinguere, aut tanquam Spiritum extinctum deputetis: Et nomen Dei nullo modo pollui potest, & tamen dictum est (Amos 2.) filius, & Pater intrabant ad unam puellam, ut polluerent nomen Dei sui.*

Ex his perspicuum est, perperam Hæterodoxos recentiores gloriarum, quod in Articulo de iustificatione consentientem habeant Augustinum; Quibus paulo magis ingenuus Philippus Melancthon Epist. 99. lib. 1. sic ad Amicum scribat: *Augustinus non per omnia satisficit Pauli sententia, est propius accedat, quam Scholastici. Et ego cito Augustinum propter publicam de eo persuasionem; cum tamen non satis explicet fidei iustitiam.*

## DISPUTATIO NONA.

## De Merito Sanctorum.

## PRÆLECTIO I.

Quid, quotplex sit Meritum, & quæ conditiones sint ad illud necessariae.

**M**eritum, si vis nominis spectetur, trifarium sumi potest. Primo significat consequentem juris ad præmium, aut meritum pœnæ subeundæ. Secundo significat consequentem tituli ad præmium, aut opus, quo quis se dignum reddit pœnæ. Tertio quamlibet adeptionem seu consequentem. Tertia significatio impropria est, neque in Tractu Nostro locum habet. De merito pœnæ questio etiam hic nulla, cum de Merito SS. agamus, sive de Merito, quod gratia cooperantis effectus est, ut ait S. Thomas. Id autem discriminis est inter consequentem juris, & tituli ad præmium: quod jus ad præmium obligationem remunerationis involvat necessario, cui deesse non possit præmii dispensator absque iniuria. Titulus vero ad præmium ordinem quidem involvat ad bonum ali-quod, operanti ex mutua gratia retribuendum, non ex obligatione proprie acceptæ.

Triplex autem distinguitur Meritum a Theologis. Primum ex stricta iustitia: Tale est opus, cui per se, & ex dignitate persone merentis merces debetur secundum strictos juris apices. Christus hoc pacto sibi nobisque meruit. Alterum dicitur Meritum de condigno: tale est opus, cui propter eius dignitatem, vel intrinsecam, vel ex liberalitate Dei illud contentis derivatum, quæ tamen ex gratia est persona merenti collocata, quovis modo spectetur, merces debetur ex iustitia, vel ex promissione Dei, illud ad vitam æternam acceptum habentis: sic definimus meritum de condigno, propter varias Theologorum de illius conditionibus opiniones. Tertium dicitur Meritum de congruo. Ejusmodi est opus bonum, cui ex iustitia, aut promissione Dei Merces non debetur; decet tamen divinam beni-

Serry Tom. IV.

gnitatem, aut liberalitatem dare id, cuius gratia sit.

Ad meritum de condigno quasdam conditiones postulant Theologi Catholici; alii plures, alii pauciores. Secundum omnes, necessaria est bonitas operis. Colligitur ista conditio ex Apostolo ad Rom. 2. dicente, qui reddet unicuique secundum opera eius: *iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem querunt. Et certe cum mala opera Deo non placeant, imo ipsi invisa sint & exosa: & opera indifferentia (si quæ darentur) nullam proportionem haberent cum vita æterna aut re quavis altera supernaturali, meritorum rationem habere non possent. Imo nec temporalia bona vitiosis actibus impii promereri possunt, nisi quatenus in his radius aliquis bonitatis affulget. Sic in obstrictibus Hebræis, non est remunerata salus, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis, ut ait S. Augustinus lib. cont. Mendacium ad Consentium cap. 15. & retributio illis facta a Deo, nec non exercitui Nabuchodonosoris Regis, & Romanis, facta non est secundum respectum ad malitiam voluntatis; sed secundum comparisonem ad divinam motionem, quatenus eorum voluntates ad bona aliqua temporaliter agenda movebantur, in quibus suum propositum Deo favente consequuti sunt. Sed hujusmodi opera improprie & secundum quid merita vocantur, non proprie & simpliciter; sicut nec bonum temporale, ad quod ordiantur, simpliciter, bonum hominis est, sed secundum quid. Bonum autem eius simpliciter est finis ultimus. Ita docet S. Thomas 1. 2. quest. 114. art. 10. Licet porro possit esse peccatum sine actu, nimirum peccatum omissionis; non tamen inde consequens est, meritum absque actu bono esse posse, abstinendo a malo opere absque consilio, & attentione. Rationem discriminis assert S. Thomas 1. 2. quest. 72. art. 5. ad primum: *plura, inquit, requiruntur ad bonum, quam ad malum, eo quod bonum contingit ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus, ut**

Q q q

Dio.